

laudem, ut eo sæpius gratiæ divinæ inculcetur, A  
memoria: *Kimchi*.

אֲרִירֵי *excellentes*: ] vide de hōc epithetō  
Psal. XCIII, 5. ubi fluctibus tribuitur marinis:  
item *Jud. V, 13. Capellus crit. sac. f. 264.* censet,  
LXX legisse אֲרִירֵי, cum reddiderint *καταίσις*.  
verum haut opus novâ isthac lectione, cum eti-  
am אֲרִירֵי eundem significatum pro ratione con-  
textus exprimat.

## EXPLICATIO VERSUS XIX.

לִּסְחָח: ] vide de hōc sequentibusque versibus  
Psal. CXXXV, 11. 12.

## EXPLICATIO VERSUS XXI.

לְנַחֲלָה *in hereditatem*: ] ingens & hac di-  
vina gratia, quod vicinæ gentes non denuo ex-  
pulerint colonos hosce novos, &c. *Kimchi*.

## EXPLICATIO VERSUS XXII.

עֲבָדוֹ *servo suo*: ] quem scilicet cultui suo pe-  
culiariter præ alijs mundi nationibus destinave-  
rat: vid. *Psal. CII, 15. 29. CV, 6. 25. CXIII, 1. CXXXV,*  
*14.* Sic & alibi idem hicce populus vocatur Dei  
primogenitus *Exod. IV, 22.*

## EXPLICATIO VERSUS XXIII.

שִׁבְשֹׁבֵנוּ *qui in humilitate nostra*: ] h. e. se-  
cundum *Campensem*: quoties premebamur, vel  
quoties honoribus, opibus ac felicitate omni pri-  
vati, ad abjectam planè conditionem redigeba-  
mur ab hostibus, ut humi velut desidere cogere-  
mur, &c. Vide eandem hanc vocem *Cob. X, 6.* po-  
nitur stultus in celsitudinibus amplis, & divites  
(sapientiâ) בְּשִׁבְשֹׁבֵנוּ *in humilitate sedent.* De multipli-  
ci autem hac populi delinquentis humiliatōe per  
vicinos populos passim testatur *liber Judicum.* Lu-  
therus: da wir untergedrückt waren. De captivi-  
tate Babylonicâ *Aben Esra & Kimchi*; quanquam  
etiam præsentem includi posse *Kimchi* adjiciat.  
Sed quomodo *Recordationem* divinam de prædicare  
possunt, cum è præsentis exiliō nondum se libera-  
ri cernant? Respectus ergo hîc omnino habetur  
ad oppresiones populi varias post Josuam ad  
Davidis usque tempora.

זָכַר *recordatus est nostri*: ] mittendo nimi-  
rum Judices ac Salvatores, qui gentem rursus no-  
stram gloriose eveherent, hostili jugō fortiter de-  
pulsō. Iterum ἀνερωποπαθῶς *Recordari* dicitur De-  
us, quando post duras adversitates, ubi homi-  
num oblitus videtur, novum ipsō opere amoris sui  
memoris exhibet documentum; uti vidimus  
Psal. CXV, 12. CXXXII, 1.

נוֹסְרֵינוּ *nostri*: ] (ל) pro נַח, ceu *2. Samuel, III, 20.*  
*Aben Esra.* vide *Psal. CXXXV, 11.*

## EXPLICATIO VERSUS XXIV.

וַיִּפְרְקֵנוּ *eripuit nos*: ] violenter, dilacera-  
tis velut vinculis ac claustris omnibus, quibus li-  
bertas nostra inhihebatur. Nimirum פָּרַק est  
idem ac *disrupit, dilaceravit*, v. g. *Genes. XXVII, 40.*  
quum incipies dominari, וַיִּפְרְקֵנוּ *abrumperant*  
ejus à collō tuō: *Exod. XXXII, 2.* פָּרְקוּ *abrumperant*  
monilia aurea, &c. Hinc idem est ac, violenter  
ex alterius potestate vel infortuniō stringente,  
*eripuit*, v. g. *Tbren. V, 8.* servi dominati sunt nobis,  
& nemo פָּרַק *liberans* è manu eorum.

## EXPLICATIO VERSUS XXV.

לֶחֶם *panem*: ] i. e. cibum competentem. Ita

namque generatim omne alimenti genus voce  
*Panis* comprehendi solet, ceu ipsa docet domini-  
ca oratio. vide *Prov. XXVII, 27.* abundantia lactis  
caprarum לֶחֶם *in cibum tuum, & in cibum domus*  
*tue &c.* Sic quod *Marc. VI, 36.* vocatur *panis*, id  
*Matth. XIV, 15.* cibus appellatur: sic de cibō bru-  
torum *Psal. CXLVII, 9.* De alimentorum submi-  
nistratōe reducibus e Babel divinitus procura-  
tâ, *Aben Esra*, juxta illud *Jes. XLIX 10.* non esurient  
fervi mei &c. Verum rectius *Kimchi* universale  
hoc existimat beneficium, ita, ut psalmus eō mo-  
dō finiatur, quō inchoaverat.

כָּשָׂר *universæ carni*: ] h. e. animatis, tam ra-  
tionalibus, quam irrationalibus, aquatilibus,  
terrestribus, feris, cicuribus, volucris, &c.  
Synecdochice *Caro* ponitur pro Carne animatâ,  
ut *Genes. VI, 13. 17.*

## EXPLICATIO VERSUS XXVI.

וְהוֹדוּ *confitemini*: ] per epanalepsin eōdem  
modō psalmus clauditur, quō superius inchoa-  
batur; æque ut *Psal. CXXXV, CXVIII, CIII, VIII,*  
&c. item *Cob. I, 1. XI, 8.*

B  
וְהוֹדוּ *Deo cælorum*: ] qui videlicet solus  
supremis his amplissimisq; imperare potest cor-  
poribus, quorsum nulla vel dæmonum vel ho-  
minum penetrare potest potestas, unde etiam  
*in cælis thronus ejus esse dicitur, &c.* quippe solus  
ipse cælos creavit, *vers. 5. 7.* solus ipse eorum mo-  
deratur cursum, *Job. XXXVIII, 33.* hinc solius  
ejus cæli esse dicuntur, *Deut. X, 14. Psalm. VIII, 4.*  
*LXXXIX, 12. CXV, 16. CXLIV, 5. Thren. III, 66. &c.*  
ac proinde etiam *Deus cæli* vocatur *Genes. XXIV, 7.*  
*2. Par. XXXVI, 23. Esr. I, 2. V, 12. VI, 9. 10. VII, 12. 21.*  
*23. Neh. IX, 1. 4. 5. II, 4. 20. Dan. II, 18. seqq. Jon. I, 9. &*  
*b. l. Campensis: qui omnipotentia suâ autor est ipsius*  
*cæli.* *Kimchi: Deus cælorum, i. e. aëris & firmamen-*  
*ti, vocatur, quia illinc venit pluvia, quæ cibi cau-*  
*sa est; vel secundum R. Aramam, quia primum*  
*regit mobile, quō cæteri cæli circumgyrantur.*  
Referuntur huc, quæ *Deuter. XXVIII, 12.* de aper-  
tione thesauri, seu cælorum extant, unde ter-  
ræ tribuatur pluvia &c. verum commodius im-  
perium Dei cæleste describitur, ceu in oratione  
dominicâ: *Pater noster &c.* De numero XXVI.  
C  
*versuum* hujus psalmi mysticam Rabbiorum re-  
fert *Kimchi* sententiam, quod totidem ætates vel  
secula intercesserint à creatione ad promulgatio-  
nem usque legis, sive juxta R. Salomonem vi-  
cies sexies repetitur, *in seculum misericordia ejus*:  
quia totidem ætates ante latam Mosis legem so-  
lâ Dei gratiâ sunt gubernatæ. Idem legitur etiam  
in *Midrasch.* Verum quid de his sentiendum, le-  
ctori cordato facile obvium. In *Vulgata & Arab.*  
adhuc additur: *confitemini Domino dominorum,*  
*quoniam in æternum misericordia ejus.* Verum in  
LXX. deest, ut & in Chaldæo, Syrô & Æthio-  
picō.

## USUS PRACTICUS E VERSU I.

- (1) De laude Dei *prac. II.*
- (2) De Dei bonitate gratiæque æterna; *L. de*  
*Deo.*
- (3) Gratia hæc Dei nunquam repeti inculcarique  
nimis potest: *Satan impugnat, ratio fluctuat, mun-*  
*dus extenuat, &c.*

## USUS E VERSU II. &amp; III.

- (1) *Majestas Dei excellit universa.*

(2) *Dis*